2

45.771

FRIDERICI HOFFMANNI, D.
MEDICI ET PROPESSORIS ELECTORALIS IN
ACADEMIA FRIDERICIANA h.t. DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE,

DE

ANIMÆ AC CORPORIS COMMERCIO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

7. 7.

STupenda principii materialis & cæleſtis ſubſtantiæ in homine, principe animantium conjunctio eſt ad gignendam rationem, mentis lucem. Nullum hic occurrit proportionatum mutuæ unionis vinculum. Tenuisſimæ fluorum vitalium partes æſtimantur vulgo affines cœleſti auræ; verum recte ſi inimus calculum, longisſime abſunt, utpote quæ ſaltim ſubtilis materiæ progenies ſunt. Quamvis autem mens aliarum rerum cauſas intueri ac penetrare valeat, propriæ tamen indolis prorſus ignara, & qua ratione moveatur, vel miniſterio ſpirituum animalium utatur, neſcia obhæſitat. Certisſimum tamen eſt, & familiari conſtat obſervatione, magnum eſſe commercium animæ & corporis, adeò, ut unius in alterum vis ac impetus, mutuaq; communicatio perſpectisſima ſit. Pro conſtitutione corporis, humorum ſanguinisq; motus congenitum nobis intellectuale illud lumen varium eſſe, exemplis edocemur quotidianis. Etenim quo purior tinctura ſanguinis vitalis eſt, quo mixtura elementorum ejus magis congrua, eo major ingenii promptitudo enitet, & vice verſa, quo lentior ad motum ſanguis eſt, & fixiores ſpiritus, eo major judicii firmitas apparet: Pituitoſos ignavum ac iners

posſi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

772

posſidere ingenium notisſima res eſt. Eccentricos humorum motus & incongruas illorum temperies, & mentis motus turbare, videmus in morbis. Ebriorum inordinatas actiones calido in venas adeunti vino deberi, indubium eſt. Quantum corpus detrimenti capitat, quando à ſævis affectibus animus in præceps rapitur, omnibus notum. Adeo mutua neceſſitudo animæ ac corporis ex æquo diſpenſat commoda atque incommoda ſua. Veriſſime ſcribit Hippocrates *Lib. de flatibus Sect. XX. §. 3. Ex iis, quæ in corpore inſunt, nihil magis ad prudentiam confert quam ſanguis, hic ergo cum conſiſtenti habitu perſiſtit, prudentia etiam conſtat: Sangvine vero permutato concidit ſimul prudentia.* Siquidem §. 19. inquit: Penitus ſi conturbatus eſt ſanguis, penitus & prudentia proſternitur. Id ipſum quoque notavit *Galenus*, dum libro ſpeciali docet: *Quod mores animi ſequantur temperamentum corporis.* Ex hiſce jam liquido fluere arbitror, & animæ ac mentis dari medelam, ſi corpori illam adhibeamus. Sic diæta & medicamina magnum jus ac facultatem habent in mentis motus. Aer ſubtitis & victus ſpirituoſus, tenuis procreant ſpiritus ſatis actuoſos ſubtiles ad mentis regimen accommodatisſimos. Tenue Athenis cœlum acutiores Atticos effeciſſe, craſſum autem Thebis pingves Thebanos & valentes, memoriæ prodidit *Cicero Lib. de fato.* Ingenia hominum mirum diſtingvit cœlum ſolum & victus, diæta, conſvetudo & locorum natura. Quis jam dubitabit in temperamentum redacta exceſſiva humorum qualitate menti ſapientiam reddi! Rectisſime concludit *Hippocrates lib. I. de diæta Sect. XXXII. & ſane hoc faciens, h. e. tali diæta & medicamentis utens, ſanior & ſapientior anima fuerit.*

Et ibid. *Sect. XXXVI. §. 33. Potestq; ex dicta & melior & deterior anima fieri.* Pulchra sunt, qvæ scribit in hanc rem *Cartesius Dissertatione de methodo Sect. 6. Animus adeo à temperamento & organorum corporis dispositione pendet, ut si ratio aliqua possit inveniri, quæ homines sapientiores & ingeniosiores reddat, qvam hactenus fuerunt, credam illam in medicina qværi debere.* Verùm enim verò qvamvis animorum variæ propensiones sint propter causas naturales &antecedentes;idcircò non statim etiam nostrarum voluntatum atqve appetitionum sunt causæ naturales & antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. Sed statuimus, qvam vis à natura qvis libidinosus, superbus, iracundus sit: Disciplinâ tamen studio atqve voluntate vitiosam naturam sic edomari ac comprimi posse, ut nihil tale amplius appareat. Socratem legimus, qvemadmodum notavit Zopyrus, physiognomum qui se profitebatur, hominum mores naturasqve ex corpore oculis vultu fronte pernoscere: stupidum fuisse & bardum, etiam mulierosum; ut adeò ex naturalibus causis vitia qvidem nasci: exstirpari autem & funditus tolli qveant doctrinâ, disciplinâ & voluntate. Præterea non concludendum ex mira hâc corporis, animique harmoniâ est, mentem, non rem per se subsistentem esse. Observantur enim qvandoq; auctæ animi vires corporis vitio crescente. Phantasiæ vires prope finem vitæ sæpius mirificæ sunt, non temere hinc mortis signo ducto: sic nonnulli mortem & ipsam mortis horam præsagiunt. Omnes ecstatici & cataleptici, destituto ad tempus animâ sensitivâ cerebro, mira narrant gaudia, visiones, consortium angelorum. Scite hanc in rem scribit. *Verulamius*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

773

mius: in tr. augm. Scient. p. 118. Anima in se reducta atqve collecta, nec in corporis organa diffusa habet ex vi propria essentiæ suæ aliqvam prænotionem rerum futurarum, illa verò inqvit optime cernitur in somnis, ecstasibus, confiniis mortis, rarius inter vigilandum, aut cum corpus sanum est & vegetum. Hujusmodi status animi procuratur facile, aut adjuvatur ex abstinentiis atque illis rebus, quæ animum à muneribus corporis exercendis maximè sevocant, ut suâ naturâ absque impeditionibus gaudere possit. *Borellus c. 11. obs. 54.* dicit: animam in ecstasi quodammodo à corporis impedimentis separatim aliquid scientiæ, quam post mortem habitura est, acquirere: dum mentionem injicit mulieris ecstaticæ, quæ peregrinis linguis loquuta fuerit. Notabilis est historia quam refert *Hannemannus in Ephem. curios. dec. 11. obs. 76.* Puella filia cujusdam lanionis Buxtehudæ vehementi morbo decumbens incidit in ejusmodi symptoma, ut jacuerit per integrum triduum mortuæ simillima, ut nihil quoque vitale inesse videretur, præter quod adhuc caleret. Exacto triduo excitata & ad se reversa succensuit, quod non in eodem statu reliquissent, ineffabilia enim esse gaudia, quæ interea temporis processissent. Sed hæc jam dicta sufficiunt de mira harmonia mentis cum corpore in hac vita. Ansam hæc disserendi præbuit vir clarissimus & experientissimus Dominus JOHANNES CHRISTOPHORUS HOFFSTETERUS, Medicinæ Canditatus dignissimus: de cujus natali solo, vita ac studiorum laudabili cursu, ut pro more quædam tradamus, æquum est. Lucem primam vidit in regia liberaq; montana Hungariæ inferioris urbe, Schemnizio. Natus optimis honestissimisque Parentibus

tibus, Patre admodum Reverendo atque Clarissimo Domino *Johanne Adamo Hoffstetero*, Ecclesiæ Lutherano-Evangelicæ ibidem Diacono vigilantissimo jam beato. Mater ipsi fuit Domina *Maria Elisabetha*, viri generosissimi Domini *Christophori à Freyeisen*, in regia liberaque montanarum primariâ civitate Cremniziensi olim Directoris ac Præsulis meritissimi, filia, matrona pietate ac omnium virtutum laude ornatissima. Ab hisce parentibus, postquam 1672. ob immanes belli & persecutionis strepitu in tenera ætate constitutus patria exire coactus est, Brigæ Silesiorum in pietatis, optimorum morum ac artium studiis educatus est: deinceps Gorlizii Lusatorum Gymnasio augusto commissus, ibi à viris præcellentissimis atque clarissimis *M. Christiano Funccio*, Scholarcha & Rectore pie denato, *M. Davide Vechnero* Pro-Rectore emerito, *Martino Richtero* jam Pro-Rectore, præceptoribus ibidem laudatissimis literis & morum præceptis innutritus fuit: Imprimis autem magno encomio extollit dexterrimam per triennium informationem Domini *Christiani Hauffii*, Con-Rectoris meritissimi, cujus non tantum doctrina, sed & hospitio usus est. Positis sic bonarum artium fundamentis suasu & consilio consanguineorum & Præceptorum anno 1689. in Academiam Lipsiensem transmigravit, & sub Rectore tunc temporis Magnifico, Viro plurimum reverendo, amplissimo atque excellentissimo *Johanne Schmidio*, SS. Theol. Licentiato, Professore publico matriculæ academicæ nomen dedit, & ultra annum, Philosophiæ, quæ ingenia optima ad altiora præparat, studiis immoratus est, & lectiones publicas Viri undequaque celeberrimi, & incomparabilis eruditionis *Menckii*

774

kii frequentavit, nec non alios amplissimos & doctissimos viros *Cyprianum*, *Schmidium*, *Pfauzium* audivit. Privatâ vero informatione in Astronomicis Clarissimi *M. Valentini Friderici*, SS. Lisig. Professi publici, in Logicis, Physicis, Historicis *M. Gottliebii Hartbii*, Facultatis Philosophicæ Assessoris dignissimi usus est dexterrima. Postea per integrum quinquennium medicinæ sacris totum se applicuit, & lectiones publicas medicinæ Professorum Excellentissimorum, *& Doctorum Frisii*, *Ammanni Bohnii Rivini* insignissimo cum fructu visitavit. Privatim autem opera usus est *Excellentissimi Bohnii*, Professoris eruditissimi, sub quo Chirurgiam, Anatomiam atque Medicinam forentem edoctus est. Prætereà excellentissimi Doctoris *Andreæ Petermanni*, Chirurgiæ & anatomiæ Professoris publici nec non Practici felicissimi manuductionem privatam in medicina theoretica & Practica, Galenica & Chymica fidelissimam mirifica laude extollit, & egregios ac uberrimos profectus ex ejus ore hausisse, ingenuè profitetur. Anatomicis ejus administrationibus quoties se obtulit occasio, interfuit tam publicis, quam privatis. Collegio Pharmaceutico, quod excellentissimo *D. Pauli*, Assessor Facultatis medicæ gravissimus, amico nostro integerrimo habuit, etiam sedulus interfuit. Ultimo loco non potest quoq; non gratus ac memor esse benefactorum per sexennium ipsi, tam informatione, quam usura hospitii præstitorum ab amantissimo fratre *Iohanne Adamo Hoffstetero*, Med. Doct. & Practico clarissimo, hujus privatæ conversationi & Collegiis Philosophicis ac practicis se plurimum debere ultro fatetur. Tandẽ nihil omisit, quodcunq; ad comparandam rerum medicarum peri-

peritiam, vitæ honestatem & morum elegantiam facere queat. Absoluto sic studio Medico accessit ad nos præcedentis mense laborum suorum præmia desiderans, admissus itaque ad consueta examina, ita se nobis probavit, ut propter insignes ac solidos profectus, in numerum Candidatorum receptus fuerit. Et quoniam meo sub præsidio die XXIII. Decembris horis ante & pomeridianis consvetis solennem suam Disputationem, de Somnambulatione, habiturus est, itaque ad hunc actum *Magnificum Academiæ Pro-Rectorem*, *Illustrissimos ac Illustres Viros*, *ac Cives & Professores* omnium ordinum excellentissimos hospitesque alios ac Cives academiæ honoratissimos, ea qua convenit veneratione invito. PP. Halæ Magdeburgicæ, sub Sigillo Facultatis die XX. Decembris 1695.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A.

de ♁ij mineralis reguli - - - - 33.
de apoplexia - - - - - 112.
~~ex atonia cerebri et nervor morbi - 273.~~
de asinini lactis usu - - - 444.
de antispasmodicis specificis - 583.
de Ætatis mutatione morbor causa et remedio 619.
de ani fistula curanda - - - 665
~~Ægra affectura ro laborans - - 696~~
Affectus rarissi: succinutritii still: - 739.
de animæ ac corporis commercio - 771.

C.

Catalogus scriptor - - - 1.
cerebri morbi et nervor ex atonia - 273.
de causis morbor recte cognoscendis - 291.
de conversione morbi benigni in malignum 353.
de camphoræ usu - - - - 474.
de chinæ usu in febribus - - 545.
~~de animæ ac corporis commercio 771.~~

B.

de balsamicis medicamentis - - 395.
de balneor artificialium usu medico - 415.
de benignor remedior noxa - 490.
Balsamus vitæ - - - - 761.

D.

de diætetica S.S. Medicina - - - 67.
Dolorum praxis - - - - 162

R.

de + EYKIPIA praxeos Med - - 198.

G

Gallinacei pulli miventi Historia - - 678

un foemini

F

de febribus mesentericis - - - 328.
de febre 4na - - - - - 316.
de fonticulorum usu medico - - 381
~~in febribus de usu recto chinae - 545.~~
~~de fistula ani curanda - - 665~~

H

Haemorrhagiarum Praxis - - - 366
~~Historia pulli gallinacei - - 678~~
de hepatis inflammatione rara - - 711.

I.

Infantum morbi - - - - 148.
de infusi veronica efficacia - 465
~~de Inflammatione hepatis - - 711~~

M.

de Ḡio et Mōtis Ḡalibꝫ - - - 48.
de morte subita præcavenda - - 217.
de Medicis morborum causa - - - 257.
~~de Mesentericis febribꝫ - - - 328~~
quod ex morbo nemo moriatur - - 341
~~de conversione~~ benigni morbi in malignū - 353.
de mille folio - - - - - 511.
de Manna usu - - - - - 526.
de Methodo Mechanica - - - 635.
de Methodo vitā longā acquirendi 639.

L.

leges præstantiss: medendi - - - 88.
de lactis seri virtute saluberrima - 428.
~~de lactis asinini usu - - - 444~~
labnus balsam - - - - 761

N.

O.

de opinionum medicarum insomnia — 659.
de oculorum procidentia — — 727.

Q.

Quartanae curatio — 316.

P.

de praesagio mortis in morbis — — 237.
de purgante virtute Θ cum mediorum — 563
de peregrinationibus sanitatis causa in: 603
~~Pulli gallinacei inventi in foemina — 678~~
de procidentia oculorum — — 727.

R.

de remediorum benignorum abusu — 490.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

316.

S.

de Salium generatione - - - - - 21.
de Seri lactis virtute saluberr: - - 428.
de salium mediorum virtute purgante 563.
de specificis antispasmodicis - 583
de judicio ex signe p. V.S. emisso - 590.
de peregrinationibus sanitatis causa instr: 603.
Scorbutico pustulari laborans aegra 696.

V.

ex Uteri vitio morbor. Praxis - - 182.
de ~~Veronica infusi efficacia~~ - 465.
~~de judicio ex signe p. V.S. emisso~~ 590.
de ~~Methodo vitam longam acquirendi~~ - 639.

T.

ex Thorace succi nutritii stilli: 739.

W.

490.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cy 749

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf